

non inficiar omnes alias Canadæ missiones neuti-
quam æque fecundas atque istam, esse. Ebrietas,
vitium barbaris innatum, et ab Europæorum mer-
catorum avaritia longè latèque proseminalatum, ipsi
Europæorum mores perdit, et exempla flagitiosa
moras tristes injiciunt Evangelio. Superantur illæ
tamen, at non eâdem ubique celeritate ac facilitate.
sublata penitus ac profligata sunt in pago Lauretano,
in eoque pietatis palam ac tuto exercendæ amplissima
barbaris facultas et consuetudo est. Quotidie mane
ubi primum evigilarunt, conferunt se in templum ad
Christum Dominum in *throno gratiæ suæ* salutandum.
Neminem ab hoc pietatis officio, ætas aut sexus, non
rigidus December, non æstuosa Canicula, deterret.
Ipsi pueri prævenire grandiores certant. Quis anima-
rum cultor non facile omnium ærumnarum oblivisci-
tur, cum imbellem turbam videt [primo diluculo, &
sæpe ante ipsum solis ortum,] prostratam ante aras,
et Christi laudes ore tenero balbutientem? Inveni
non raro barbaros hyeme perfrigida genibus nixos
et orantes ante ostium templi, expectantes dum
aperiretur. Cum patuit, subeunt, et singuli seorsum
precantur; nonnulli per horam integrum. Orto sole
aut post paulo, signum datur salutandæ verbis Ange-
licis Deiparæ: quod cauent [ac religioni ducunt]
omittere, ubicumque tunc sint. Dimidia post hora,
celebratur sacrum cui omnes intersunt. Idem con-
cursus diebus profestis ac festis, eadem alacritas:
modestia vero singularis, quam præter pagum